



TYPOGRAPHVS
LECTORI S. D. P.



V M viderem studiose lector, nuper in lucem prodijisse MATTHAEI Gribaldi Mophæ, Jurisconsulti Cheriani, nec incelebris, nec infoelicis legum interpretis, prælectiones aliquot, vel (vt vocant) lecturas, in varios Iuris Ciuilis titulos, & equidem eiusdem authoris tractatum, de diuersis homicidiorum differentijs, eorundemque pœnis adeptus essem, putauit me tibi rem non ingratham facturum, si & hîc mea opera (alioquin fortasse periturus) luce donaretur, vt studiosi & ciuilis prudentiæ sectatores, quibus vel per temporis, (alijs forte studijs distincti) vel per æris angustiam, non est integrum, grandiora illa volumina Angeli

P R A E F A T I O.

3
videlicet, Hipoliti, Carrerij, Bossij, Clari, Damhauderij, & aliorum qui sunt eiusdem ordinis, vel euoluere, vel etiam emere, haberent vnde interim veluti compendio aliquo discere possent, quã verissimum esse quòd (vt ait ille)

Nulla vnquam de vita hominis cunctatio longa est.

Et sane, quam variã ac multiplices plærumque incidant circũstantiã, propter quas iure & æquitate sic exigente, ab ordinaria pœnal. Cor. de sicar. recedi debet, breuiter quidem, sed ita luculenter in hoc ipso tractatu suo exequitur Gribaldus, vt nihil addubitem, quin pro ratione instituti, quod illi fuisse videtur, abunde tibi satisfactorius sit. Vale & nostrum in te studium æqui boniq; consule. Datum Spiræ apud Nemetes anno Domini. 1582.

TRACT-